AD CARDINALITIAM QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS AGITANDA CONCERTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, IO. MARTII, M. GVILLELMO DE BAILLOV DOCTORE MEDICO, MODERATORE SAPIENTISSIMO.

An fluoris muliebris, & menſis morboſi affinitas quædam & diſſimilitudo?



AGNA Medici induſtria & prudentia relucet in dignoſcendis & diſtinguendis inter ſe morbis, labor & opera alioqui eluderetur. Morborum aliàs eſt facilis, aliàs difficilis cognitio, aliàs ambigit. Cum veritas partim facilè, partim difficulter cognoſcatur, cauſa non tam a rebus quam a nobis ſæpè pendet, & tunc animus ad res claras eodem modo afficitur quo noctuarum oculi ad lumen diurnum. Ætas quæque ſua fruitur ſanitate, ſuis affligitur morbis, hi vt & mores hominum, ætate, ſexu, conditione differunt, ſerui aliàs, liberi aliàs (vt mentagra olim ſolos nobiles affligebat) ſecreto quodam modo, quaſi fato ægrotant. Vnde & anceps & dubius euentus anni climacterici, cuius edictum non eſt prætorium: ſed ſpe pendet incerta. Corpus a corpore, morbus à morbo, longéque virilis à muliebri differt. Si medicus viriles morbos vt muliebres curare vellet, erraret. Quidam viri animum muliebrem habent, varium, mollem, non iratum ſed iracundum: mulieres virilem, ac ſi errore naturæ animus virilis muliebri corpori inditus foret. Imo & inter mulieres magna differentia, id quod color, & habitus corporis indicat. Coloris εὐχροια quæ alienos oculos delectat & allicit, ſæpe ſuſpecta eſt, vt ſignum internæ intemperiei grauium malorum parentis. Hinc alijs ῥοῦς γυναικεῖος moleſtus eſt, alijs morboſus menſis. Vtrique licet ſit affinitas, periodo & excretionis modo diſtinguuntur. Hinc ſimilitudines bonis medicis negotium faceſſunt.



TERVS naturæ fundus toti corpori ſimilis eſt. Principibus partibus conſentit, maximè ventriculo & ſyncipiti. Huius dolor morborum vterinorum index. Ex his alij in vtero, ab vtero alij. In vtero Eryſipelas neceſſario aborſum faciẽs, Cancer, & varix ægrè curabilis. Ab vtero σύνολκὴ conuulſiua, & ſine materia furibundum deliriũ. Vtriq; ſuffitus bonus, fundi cultus melior, purgatio periculoſa. Multis dolores capitis familiares à cõceptu miteſcunt, a partu reuiuiſcunt. Hę acrius ſemen habent, & generant maſculos. Cæteras à conceptu vomitiones, & pica, (inchoati hominis ſigna) affligunt, quas ſedare nefas. Exanthemata malè affecti iecoris ſoboles, aut imbecilli fœtus ſignum. Denique mille alia tædia. Hæc eleuanda ſunt, non curanda. Partus omnium eſt medicus. Vterum libidinis æſtu prurientem, ſurſum aut deorſum inclinare certum eſt. Id ſolum ligamentis, & plethoræ tribuere, natiuos partium impetus ignorare eſt. Tum ſeditionem facit cum vacuus eſt. Crebrò hunc affligunt morbi, crebriùs ſymptomata, inter quæ fluxus eſt muliebris. Hic idem in vtero eſt, quod in capite Catarrhus. Licet à morbis vindicet, ſuppreſſuſque diaben lethalem afferat, vt ſymptoma curandus.



B vtero varia fluunt. Menſes ſtata periodo, non malefici. Ad conceptum faciunt, non neceſſarij tamen in quibuſdam. Lochia, quæ ſi initiò alba, non formidanda, diu perſeuerantia ῥοῦν afferunt. Suppreſſa ad furorem adigunt: vt & primum lac quod à partu ſugere nocet. Dum fluunt oborto acuto morbo phlebotomiam non diſſuadent. Fluit alba quædam proluuies puellis ante menſtrua, & ante reſolutam virginitatẽ non inutilis. Fœdos colores curat, niſi hi à praua partiũ diatheſi, vt ferè fit, oriantur. Fluunt mali menſes, cacochymiæ, cachexiæ, cruditatiſque ſoboles. Hi aliàs pelliculoſi, carbunculoſi, ſuppurati. Fluit virulenta gonorrhoea viris & mulieribus communis, non aliæ excretiones. Quanquam cruenta mictio, vt & expectoratio aliquando ſalutaris. Fluit denique fluor muliebris, quem lenius florum alborum nomen mitigat. Nulla eius periodus, tamen menſe vectigali fluente dat inducias, non virulenta gonorrhoea. Conceptum non impedit, niſi ab interiore vtero ſit. Si mucus cotyledonas oblinit, trimeſtris fœtus eliditur. Ex his omnibus ſola lochia & menſes è natura ſunt.



ENSIS morboſus & ῥοῦς, commune quid habent. Vterque familiaris cacochymis, catarrhoſis, corpus molle, ac candidum habentibus. Menſis eſt magis periodi tenax, ab interno vtero manat ſæpe, humoremque ſanguini confuſum habet. Gerendi & nutriendi fœtus opportunitatem adimit. Hinc abortiones. Cruentus eſt magis. Ῥοῦς contrà niſi in iunioribus. Sæpe fluxum a capite, aut ſpinali medulla ſequitur. Interdum pulmonis hydropem (quem aut ſtrauguria aut ſectio tollit) abſceſſum, meſenterij impuritatem, à qua morborum ilias, ventriculi imbecillitatem, & vteri proprium vitium. Si quod fluit liquidum eſt, à longinquo eſt, ſi compactius ab vtero. Sic ſi quid in vrina eminet & compactum eſt, renum, ſi diſſolutum, totius corporis colliquationem arguit.



LVXVS varietatem corporis, & partium à quibus manat, conditio diſtinguit. Bilioſis acrior, virulentus, flauus. Pituitoſis diſſimilis. Illæ calidis, ſiccantibus, diureticis læduntur, epiceraſticis, humectantibus, licet ſit fluor, iuuantur. Pituitoſis contraria, diuretica conferunt. Terebinthinæ vſus, pilulæ ſine quibus cum caſtoreo. Omnibus frequens purgatio ex hiera, agarico, folliculis. Aqua rhabarbari, ſyrupus roſarum pallidarum. Pyrotica brachijs. Puluis ex ebore, corallo, tartaro vini albi lauto, faucibus lucij. Anthera præſtantiſſima. Syrupus ex portulaca, arnogloſſo, roſa tranſmarina, lamio quod vulgus ſuperſtitioſius vocat archangelicam. Metaſyncritica & dropaces, clyſteres frequentes cum multa mercuriali. Iniectiones per metrenchyten. Sudorifica ex indico, ligno nephritico, ſchyna. Laconica, niſi valde bilioſis quibus balneum confert. Aquæ naturales in primis. Sed hæc pro corporum & humorum natura decernenda. Tandem aſtringere conuenit. Non ſic in menſibus morboſis. Ῥοῦν ſupprimere calamitas: ſinere omninò, tabes.

Ergo fluoris muliebris, & menſis morboſi affinitas quædam & diſſimilitudo.

Aſſerebat Lutetiæ Guillelmus Gerbault, Ponteſianus, anno Domini 1611.

